


BEATISSIMAE VIRGINIS MARIA LAVDATIO,

Qua Roma loquitur, ac Sanctissimo Patri D. N PAVLO V. Pontifici Maximo de amplissima Ae in Basilica S. MARIAE Maioris, summo artificic & ornatu exaedificata, gratulatur;

PAVLO V. Pont. Max. dicata

R. D. Pomponio Brunello auctore, qui eamdem laudationem interpretatus est, ac Illustrissimae & Excellentissimae D. CAMILLAE VRSINAE BVRGHESIAE Sulmonae Principi dicauit.






Angelicis opibus prolecta renascor ad astra,
Ac DOMINVM celebro carmine laeta nouo.

ROMAE, Ex Typographia Camerae Apostolicae. 16
Superiorum permissu.

SANCTISSIMO AC BEATISS. PATRI DOMINO NOSTRO D. PAVLO Quinto Pontifici Max. ſupremam ac perpetuam felicitatem

Dicit ac precatur Pomponius Brunellus.





On equidem video Beatiſsime Pater, cur, verbis cum rebus ipſis decertare, imprudentiae ſit adſcribendum, ſi praeſertim deſtituatur is rerum facultate, cui verborum non ſit inopia. Etenim opus numquam ſatis profecto laudatum, ad MARIAE Virginis gloriam, per Te confectum & editum, nemo eſt, cui non maxime probetur. Vt illud ipſe illuſtrius redderem, dicendo, Virginem pro viribus laudari à me, ac potius ab ipſa Roma, quam feci loquentem, non alienum putaui, vt operis tanti, tamque eximij perfectionem, quam Pontificis Ma-

xi-

ximi ſanctitas & liberalitas eſt conſequuta, ad Virginis merita ſignificanda eſſe aptiſsimam comprobarem. Legerint vero, qui non viderint; qui vero viderint, ad maiorem in Virginem venerationem, facile, opinor, legendo inflammati, & Virginem, & Pontificem ſummum fuerint vehementius venerati. Quantulumcumque ſit, quod ipſe conſcripſerim, & qualecũque fuerit dicendi genus; Tui celeberrimi ac ſanctiſsimi nominis dignitate, Pater Beatiſsime, inſignitum, dum ad meam & in MARIAM Virginem, & in Te pietatem declarandam, prodit in lucem; ad animos in rebus diuinis demulcẽdos, ac iuuandos ſuauius, ſalubrius, & aptius fore non dubitaui. Ego vero iam vtrumque ad Te defero, Tuaeq. dico animi magnitudini ac ſanctitati, tum verbis opus contextum, ipſi quidem rei quam & religio Tua & vigilantia perfecit, nulla vmquam ratione comparãdum, quo opus illud ampliſsimum Tuum maiore luce, quo ad eius fieri poſsit, augeatur: tum meipſum, qui id efficere conatus ſum, quod & Tibi nõ iniucundum, & ceteris omnibus ad animos perfectione magis informandos, ſalutare futurum putaui. A Te peto etiam, atque etiam, Pater Beatiſsime, vt quidquid elaborauerim, boni conſulas, atque, cum pro eximia Tua pietate

bea-

beatissimam Virginem optime & maxime venereris, eum, qui Virginem gloriosam celebrare voluerit; Tuo praesidio non indignum ducas. Quod si quid in mea dicendi ratione quempiam offenderit, quae diuina sunt, humanis nos penitus assequi verbis non posse, viderit illa tua prudentia singularis. Verum in rebus arduis & ab hominum facultate paene prorsus alienis, conatus ipse non ingratus esse videatur. Tua vero eximia & amplissima munera, quibus & diuina Te clementia, & optima animi Tui inductio praestantissimaq donauit, auxit, ornauit, si diligentius & accuratius recenserem; verendum mihi profecto non esset, ne non ad omnem corrigendam sufficerent prauitatem. Praeteream igitur, necesse est & virtutes, quibus floruisti semper, & rerum praeclare gestarum gloriam, quae perpetuo virescere non desistet, & laudum Tuarum praestantiam, quas nulla vmquam aetas potuerit conticescere. At nouimus, quae & quanta sit animi Tui moderatio, quum, quae de Te verissime dicantur, ea tamen adulationis ergo fuisse conficta arbitreris, ac Tibi quodammodo peracerba esse videātur. Quidquid vero de Tuis laudibus verissime dici potuerit, viderint vniuersi: neque enim obscure, sed in clarissima luce, & in excelso loco, caelo

ni-

nimirum proximo, & in orbis terrarum theatro, ad immortalitatis gloriam comparandam, à Te res quotidie praestantissimae geruntur. Nemo igitur omnino sit, qui Deũ Opt. Max. assidue non deprecetur, vt, pro rerum praeclarissime gestarum amplitudine, ad commune bonum, ipsiusque Dei gloriam & Tuam, Te, beatissime Pater, incolumem diutissime tueatur. Romae. VI. Kal. MDCXIII.



D. IOSEPHI CASTALIONIS I. V. D.

ac Poetae celeberrimi,

In Beatissimae Virginis MARIAE *laudationem*

A Reuer. D. POMPONIO BRVNELLO conscriptam.

CARMEN.





REGIFICO pietas posuit BVRGHESIA sumptu
Exquilijs aedem celsis, & Virginis auxit
Effigie, coluit semper quam ROMA fidelis,
Atq. salutauit superis delapsus ab oris
Angelus humanis vectam ceruicibus, Vrbis
Per vicos, dum dira lues depasceret aegram.

Prodigio niuis innumeros celebrata per annos
Teſtudo templi ſteterat, nunc addita templo
Altera concreuit ſplendentibus Aula lapillis.
Hanc propriam Sanctae decreuit Imaginis eſſe
Maximus Antiſtes ſedem, populoq frequente
Intulit huc ſacrae tabulae venerabile donum.
Ad Tranſalpinos Pomponi ſcripta diſerti
Aurea ſublimis ducunt conuexa ſacelli.
Ille DEI Matrem celebrat, laudesq. per omnes
Virginis it pius, & PAVLI monumenta recenſens,
Mira renaſcentis dominae decora explicat Vrbis.



BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE LAVDATIO.



QVAMDIV me Romam, Pater Beatissime, Pontificis Max. parentem, Ecclesiae sacrosanctae principum altricem, verba facere conantē, haesitantiae labor eludet? Quamdiu me Vrbem, cuius nutu, atque imperio, Orbis terrarum tuendi perpetuae sunt partes, & cuius nomen Robur, atque inuersis litterarum notis, Amorem significat, quaeque denique ad summi boni perennitatem allicio, in tam probatae tamque spectatae & veteris & recentioris eloquentiae flumine, dicendi ansa & animus defecisse videatur? At vero me, dum & ciues & peregrini, dum & infimi & summi, dum denique rudes & eruditi, quippe qui audire aliquid studeant, conticuerunt, ipsam mihi indicere silentium non patiar, non oportet; ac vocem potius in rebus tum ad audiendum grauissimis, tum ad dicendum ornatissimis, quam maxime cōtendere, praeclarum mihi esse verissime quidem certe sentiam & confirmabo. Aude vero, vox, aude, quae ex venustissimo septem collium ore erumpere consueuisti, neque de caelorum terrarumque Regina, de Virgine scilicet immortalis Dei, ipsiusq. Virginis, ac rerum omnium opificis, & effectoris parente, arduum sane dicendi opus, neque materiem difficillimam quidem, sed præstantissimam, neque Pontificis Maximi audiendi studium, quo vel perturbatissimus quisque maxime recreetur, reformides. Est enim profecto iure optimo sperandum, fore, vt neminem, quantum profeceris, de re tanta dicendo, pœniteat. Quid vero iam mihi aliud agendum esse maxime videatur? nam vbi Pontifi-

cem ipsum Maximi Paradisum in Exquilijs extruxisse perspexerim, qui caelesti illi pro sua facultate respondeat Paradiso, vnde Virginis MARIAE praesentia per ipsius imaginẽ praestantissimam excipiatur; ad alterũ ipsa laudum Paradisum aggrediar, oratione contexendum, qui cum illa aedificij praestantia contendere quidem certe, eam tamen assequi penitus nullo modo posse videatur. Ac primum quid breuius, quid illustrius, quid verius, quam MARIAM Virginem amoenissimum nobis illum in orbe terrarum Dei nutu consitum, atque immensis, & vniuersis prope delicijs affluentem, Paradisum referre? Ibi in teterrimum fuit humani generis hostem, ore illo diuino, acerbissima comminatione, prolatum: Et ipsa conteret caput tuum. Et quoniam lucis initia ab Aurora sumuntur, MARIAM Virginem nõ Paradisum modo, sed Auroram ipsam ad Paradisum collustrandum esse fateamur, & illius pulchritudinem ac decus admiremur ac celebremus. Illa enim beatarum mentium delectationem amplificat, humanarum miseriarum tenebras auertit, ac nostros animos extollit, vt, pro nostra virium imbecillitate, splendore fulgentissimo perfruamur. At vero & Sole, & Luna, & Aurora montes, quo altiores sunt, eo prius ac magis illustrantur. Et quidem montem praecelsum esse MARIAM Virginem confirmemus, quo sancti Spiritus, ac Diuinitatis splendor affulsit; neque montem solum, sed vniuersum terrarum orbem ab hac tam singulari tamque immensa Virgine sustineri, vi omni perturbationum abducta, approbatione omnium dixerim. Age vero, prius quam me longius labi sino, huius Paradisi ortum paulo altius repetamus. Etenim diuinorum consiliorum magnitudinem mihi diligentius animo pertractanti, venire videtur in mentem, qua prouidentia Deus, qua sapientia, Virginem, Paradisi relaturam delicias, sibi matrem futuram, humanis consulturam exitijs, condi voluerit. Videor equidem iam cernere animo, pro mea tamen ingenij tenuitate, illam Dei Optimi Maximi mentem, in eius aeternitate ante orbem condi-

tum, matrem in aeterna illa atque immensa diuinitatis (vt ita dicam) voragine, quasi absortam, vel obrutam, in hominum conspectu tempore edendam suo, perpetuo extitere, & quasi ante oculos habere voluisse. Verum diuinorum operum magnitudinem, quorum hoc fuisse quoddam quasi caput ac fontem videmus, quotusquisque est, qui se penitus assequutum esse confidat vel glorietur. Nam viri sanctissimi ac doctores praestantissimi illo se diuinae contemplationis oceano absorberi facile quidem certe patiuntur, atque adeo percupiunt, quum se ad ea, quae in diuinitate continentur, enarranda, aptos non esse perspiciant. Fuisse tamen in illo Diuinitatis abditissimo sinu praeclarum quoddam Virginis siue principium, siue fundamentum, siue simulachrum vel effigiem, siue consilium potius optimum ac nobilissimum, vaticiniorum arcana prodiderunt: Ab initio & ante saecula creata sum, & vsque ad futurum saeculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministraui: quaeque alibi saepius diuinis oraculis recensentur. Quidnam igitur de tanto ortu potest dici praeclarius, quid praestantius, quid vberius, quam illius praestantiam fuisse in Dei sempiterni mente perpetuo descriptam atque expressam? Quamobrem mirari iam, vt censeo, ne desinamus, tam multa de Virginis ortu, in omni aetate antiquitus fuisse à diuinis vatibus pronuntiata, tam praeclara in ipso contigisse, ac tam innumera & admiranda illum ipsum fuisse consequuta. Quod si quis tantae rei speciem expeteret intueri, & quum oculis cernere non liceret, oculorum sibi acie perstricta, in mentis tamen acie sentiret adesse illico in ortu ipso Virginem, quae fuerit lectissima foemina ex omnibus, quae vnquam fuerunt, sunt, & erunt in orbe terrarum, ad perfectissimae ac felicissimae aetatis munus explendum, ac fore Dominam singularem, quae praeter incredibilem pulchritudinis iucunditatem, praeter regiae stirpis, ac nobilissimae auorum prosapiae decora; Solis ipsius, quem cernimus, iubare, ex multis partibus longe clariorem sit habitura conspectum, quaeque tandem

Deum

Deum hominem factum sit partitura, ad genus humanum redimendum, vt omnium Saluator, summa gloria, triumphisque omnibus celebrandus, victor existat; quinam sese iam contineret, quo minus summis gaudijs exiliret, quo minus quauis grati animi significatione, quam maxime gestiendum, ac triumphandum putaret? Quid? si ea quoque ille ipse percipiat, quae licet à sensibus animum auocent, & in alia loca ipsum, sentientem tamen, longe amoeniora, longeque præstantiora deducant? quid? intueatur iam hilares & alacres supernorum ciuium coetus innumeros, Virginulae illi tantae indolis libentissime ministrantes, varie in ea re contendentes ac paene decertantes: sese ad omnia in ipsam officia studiosissime exhibentes; suauissimas voces, quibus vel remotissima respondeant, atque adeo plaudant loca, artificiose fundentes; odorum suauitate omnia complentes; vario denique ac multiplici, nobilissimoq. concentu, non modo stirpis ac generis regalisque partus; sed rerum etiam, ab illa ipsa Virgine gerendarum, laudes ac praeconia promulgantes ac celebrantes; quinam sibi ipse temperauerit, quo minus, si liceat, vitam caducam & mortalem cum tantae admirationis, tantaeq. iucunditatis ac felicitatis spectaculo, cumq. illo quantulocumque temporis, omnibus referti laetitijs, interuallo commutare malit, quam, truculentis inuidi hostis insidijs, tantis gaudijs fraudari? Verum quantis nos beneficiorum diuitijs locupletare voluerit exortum iam Paradisum inspiciamus & agnoscamus. Ex hoc praestantissimo deliciarum Paradiso Christũ erupisse cõperimus, immensi illius fluminis instar, quod Gaeon, terrenum videlicet, est appellatum. Etenim Christus, vt in terris cum hominibus ad ipsorũ salutem versaretur, diuinã humanæ naturã adiunxit. Flumen illud in quattuor diuisum capita, quattuor itẽ insignia beneficiorũ genera, per CHRISTVM Virginis Filium, in genus humanum collata esse significat. Eorum capitum primum dicitur Nilus, qui Aegyptum conserit atque laetificat, & in Aethiopiam influit. Ex Christo in vniuersam Ecclesiam

illud

illud extitit beneficiorum genus, quo primi parẽtis crimen, in posteros propagatum, eluitur, & omni caligine disiecta, summa bonorum copia redundamus. Ad caput secundum pertinet Tigris, quo Assiriorum regio irrigatur. At quidem Tigris animal est tantae in catulos charitatis, vt quum eos abripiat venator, tanto animi corporisq. impetu feratur, vt in spiculum irruat venatoris. CHRISTVS mortis telum subiuit, vt è misera nos daemonis seruitute in pristinam asséreret libertatem. Tertium caput Phison regionem, Heuilath nuncupatam, rigare dicitur atque ambire: eius vero regionis nomen nobis innuit poenitentiam. Etenim CHRISTVS animos culpa deformes, ac vitiorum turpitudine obsessos, ad crimina per poenitentiam expianda, & in eximiam quamdam pulchritudinem conuertit. Eufratis nomine, (ita enim quartum dicitur caput ; quoniam vastissimis Mesopotamiae regionibus maximam rerum omnium vbertatem largitur ;) fructuum bonorumq. omnium copia & propagatio significatur. Quid vero amplitudinis, decoris, dignitatis; quae deliciae, quae vbertas, quae copia, quod emolumentum non inde redundet? quae per illum virtutum culmina non erigantur? quod vitium non comprimatur & obruatur? O terram amplissimam, ò praeclarissimum paradisum, quem nobis ante oculos ponit Virgo & mater Maria, insignia & singularia in genus humanum beneficia conferentem. Tu, Virgo, prior summis fuisti irrigata muneribus: tu terra germinans Saluatorem, & benedictus fructus, in quo omnes gentes salutis primordia perceperunt. Hanc terram, hunc Paradisum afflat Auster ille diuinus, vt inde in omnes partes effletur odorum suauitas, & frugum praestantia diffundatur. Iam vero quis immensitates camporum, agrorum culturam, messium copiam, herbarum viriditatem, suauitatem florum, arborum vbertatem, plantarum ordinem, artificium, venustatem tam admirandi Paradisi commemorem? Vocem stupore plenissimam proferunt principes illi caelestes, dum splendescentem, ac summis vndique diuitijs redundantem Virginem

nem contemplantur. Quinam fieri potest, (quasi dicant) vt ex vasta atque abiecta solitudine, vbi omnia dolore, luctu, laboreq. commiscentur, tam eximia, tam insignis, tam singularis diuitiarum copia, Virginis beneficio, exoriatur? Est illa quidem venustissimus ac ditissimus Paradisus, sed conclusus: vbi tamen comperimus (id quod est ab hominum opinione maxime remotum) ianuam esse clausam & patentem. Quam multa praeteream, necesse est; quam multa, quæ dum mentis acies non comprehendit, lingua reticeat? Mitto varia plantarum, arborum, florum, herbarum genera, quae Paradisum illum, perpetuo virescentem, iucundissimum reddunt. Trium tantum plantarum praestantiam consideremus. Ibi nardum, lilium, rosam intuemur. Est herba nardus demissa, odorem vero flagrantissimum spirat. In te, Virgo, nardus existit; quoniam ingenti illa animi tui demissione, ac tanta virtutum flagrantia, ex depressa miseriarum valle, regium solium, diuinumq. thalamum conscendisti; atque illa tibi maxime peculiari demissionis iucunditate, caelestibus regionibus longe lateq. perfusis, Dei filij nuptias concelebrasti. Sponsus Deus, humana sponsa natura. Tu, Virgo, Esther illa fuisti, quae Assuerum, idest beatum, regem, atque adeo diuinitatem ipsam supplex adire vna ex omnibus potuisti. Tu sacrosancto illo vteri, caeli nimirum Virginei, diuersorio, Deum immortalem, quem caelum veretur, quem Angeli timore perterriti venerantur, quem res inanimae ac rationis expertes non attingunt, nisi perpetuam illi obedientiam praestantes; quem hominum mentes non plane cognoscunt, quem caelestes non nisi ex parte degustant, recepisti, & omnino praeclarissime oblectasti; atque illum ipsum Deum & hominem terris elargita, vera solidaq. caelos gloria impertisti, perditis opem & salutem tulisti, mortuos denique vita donasti. Tu enim ancilla Domini. Tu Deo te, tua tamen reformidante mente, ac summa veneratione perculsa, penitus exhibuisti. Tu nardus, in quam, tamquam in oppidum fortissimum, nemini vmquam peruium, ostio

clau-

clauso, ingressus est Deus, vnde est itidem ipse egressus, omnium saluator futurus. O deliciarum delicias, ò aerumnarum finem, ò gaudiorum fontem, ò immensam curarum, solicitudinum, moerorumq. depulsionem. In Virgine, summo egressus caelo, tamquam in arce munitissima propter illius mentem, summa demissionis celsitudine elatam, tantoq. amplissimae illius odore virtutis flagrantem, tabernaculum suum posuit Deus, vnde acerrimae daemonum acies fusae, interemptae, prostrataeque iacerent. Quid iam de lilio castitatis dicam? Integritatem virgineam flos candidissimus prae se fert, in quo Rex regum, & Dominus dominantium sedem sibi delegit; & qui nullis maculis esset infectus, ex Virgine nulla vnquam ex parte violata, processit omnium maculas expiaturus. Et quidem praecelsi epithalamij nuntius atque narrator, Virginem illam venire de Libano, vt coronetur, affirmat. Inde profecto candidissima proficiscitur Virgo ad candidissimas liliorum coronas excipiendas. Libani enim nomen ostendit, montem illum esse maxime candidatum. Ex candidato omnium virtutum monte, humano generi parta victoria, ouans, & omnino triumphans ad purissimum & integerrimum lilium gestandum se contulit virgo. Quantis vero laetitijs, quam fausto, quam celebri, quam augusto triumpho excipitur à filio mater, à filio, inquam, Deo, & Dei filio Virgo mater, vt tantarum illi virtutum meritorumq. praemium largiatur? Testis est Apostolorum princeps, testis totus Apostolorum Senatus; qui ex remotissimis regionibus singuli illico Hierosolymis conuenerunt, vt MARIAM Virginem Dei parentem, è vita migrantem, & mox in vitam reuocandam, conspicerent, atque ad primam, secundū filium, caelestis regni sedem & coronam proficiscentem, beatarum omnium mentiū coetu & comitatu constipatā, cunctis vndiq. plaudētibus, & sanctissimæ Trinitatis, vniusq. Dei summo consensu, praecelsissimis muneribus, insignibus, laureis, diadematibus, ab vllo numquam homine excogitandis, excipi atq. donari in-

 cipien-

cipientem, mentis acie ac prope communi omnium oculorum obtutu prosequerentur & cernerent. O spectaculum singulare, ò liberalitatem diuinam, ò merita nunquam antea audita, quibus parem gratiam retulit Deus. Testes etiam odores illi flagrantissimi, quos ex Virginis monumento, vel ex aede potius illa nobilissima, vbi tamdiu iacuit, dum reuiuisceret, spirari & efflari, qui aderant, vniuersi perceperunt. Testes denique principes illi caelestes, qui Virgini obuiam quam longissime prodeuntes, ac suauissime concinentes, toto cælo splendentissima luce collustrato, amplissimam illam caelorum terrarumq. reginam hominum patronam, virginum Virginem singularem ac praestantissimam, Dei optimi Maximi parentem dignissimam, in caeleste domicilium, in solium regale, in Trinitatis sanctissimæ regnum, summa & communi omnium veneratione plausu, laetitia deduxerunt. O rerum admirandarum magnitudinem, ò eximiam laetitiarum vbertatem. Qui plausus? qui concentus? quæ gratulationes? quæ gaudia? quam varie, quam accurate, quam artificiose ad honores, ad cultus, ad multiplices venerationes cuncti vndique concitabantur? qui triumphi ante illum diem inauditi agebantur? quae laetitiarum voces edebantur? quam egregia, quam onusta splendoribus signa sublata? Quis vero tantarum, tamq. admirabilium rerum significationem aliquam non dicam expresserit, sed adumbrauerit dicendo? Verum eo iam, vnde diuertimus, redeamus. Etenim rosa pulcherrima ac venustissima quid nobis arguit? Virginem profecto Mariam. Quid illa flagrantius? quid candidius, quid rubicundius? Non ne ipsam nouimus fuisse charitate inflammatam? Quis magis vmquã Deum dilexit? quis amauit ardentius? quo amore inflammabatur in Deum, cum assidui ergà se amoris aestu conflagraret? Illa est rosa, quae omnium mentes demulcet & allicit. Illa Virgineo flore candida, charitatis igne rubicunda: mens in illa candida virtutibus colendis, rubea caro, vitijs comprimendis. Illa rosa candida, Deo diligen-

do; tota rubicunda, alienae imbecillitati indulgendo. Illa flos campi, & lilium conuallium. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Illa non florem modo, sed lignum vitae, & arborem praestantissimam in Paradisi medio, summo artificio consitam, vnde aeterna percipitur vita, morte depulsa, repraesentauit. Illa nobis CHRISTVM edidit & vitae lignum, & vitae fontem, qui ex ore Altissimi ad orbis terrarum arescentis vultum proluendum ac detergendum prodiuit. Quis igitur hoc praestantissimo Paradiso non capiatur, non oblectetur, non quam maxime detineatur? Quid ibi non sit quod ad summum virtutum amorem non alliciat, non vrgeat, incendat, inflammet? Ibi prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem redolent vniuersa. Inde tamquam ex vberrimo fonte ad omnem animorum sitim explendam profluunt omnium ornamenta virtutum. Illa enim Dei laetificat ciuitatem: illa in suscepto consilio fortis, illa in silentio temperans, illa in interrogandi ratione prudens, illa in diuina voluntate confitenda & laudanda iusta, illa denique cum vitae cursum tenuit, in quo nihil temere, nihil perturbate ne cogitauit quidem, sed maxima exempla sui ante oculos cunctis ad imitandum proposuit. Est etiam aquae ductus MARIA, quae vberrimum bonorum omnium fontem aperuit. Est illa puteus aquarum viuentium, quae in vitam sempiternam ascendunt. Quis ibi superbiae flatus? quae sordis vllius nebula? quae iniquitatis glacies dominetur? Illa virtutum omnium chorum conciliauit, ex illa auctor vitae ortus est CHRISTVS, qui scelus, hostes, mortem confregit, disiecit, peremit. Quamobrem iam licet mortalibus in Paradiso illo commorari, ac suauissimo cibo ex sententia vesci: nam Virginis aspectus illos ipsos caelestes spiritus pascit. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. Verum quem finem sibi comparabit oratio, si recensere singula voluerim? Ergo ceteris praetermissis, in MARIA Virgine, per fidem videlicet firmam, cedrum exprimi videmus, per spem viuam cupres-

ſum, per charitatem palmam: & quacham arborum vires in illa non planiſſime percipiantur? Mitto in ea commiſerandi oleam, mitto animi magnitudinis platanum, mitto benignitatis balſamum, animi demiſſionis cynnamomum, corporis deprimendi ac ſeruandi myrrham. Intueamur iam rationis compotes, vt ita dicam, effectas animantes, quae illac hilares errant atque percurrunt. Ibi offenderis lepores diuino timore perculſos, ibi ceruos amore diuino elatos & incitatos, ibi philomelas nocturnis in actionibus concinentes, ibi turtures ſublimi contemplatione impulſos, ibi palumbes ſimplici rerum vſu, & quadam quaſi perpetua Deo placendi cura & cogitatione commotas. At vitem laetiſſimam eſſe Virginem cur non dixerim? Haec vitis ſacroſanctum illum racemum in promiſſionis terra olim declaratum, protulit Chriſtum, qui magnitudine virtutum caeleſtium, (ò diuinum iubar, cuius ſplendor vel cogitantis aciem perſtringit,) hominum mentes ſibi ſimiles efficere voluit, vt ſe ipſo in omnes aeternitates perfruerentur. Quid iam praeterea deſideretur? Non ne congrue ac recte MARIA Virgo cum toto mundo conferri potuerit? Non ne potius quidquam ex rebus humanis excogitari poſſe negauerim, cuius illa praeſtantiam non longiſſime ſuperauerit? Habet orbis terrarum herbarum vires? Eſt MARIA ſpei mater. Habet orbis terrarum omnium generum flores? Habet MARIA verba prope innumera, vnde flagrantiſsimus virtutum odor efflatur. Habet fruges vberrimas orbis terrarum? Eſt charitas in MARIA omni virtutum choro conſtipata. Quid vero ſecundum Deum habet vniuerſae terrae dominatum? Dominata eſt MARIA in terra, quae per illam fructum ſuum dedit, humani generis ſaluatorem. Cernimus in mundo Solem? Suſpiciamus in Virgine fulgentiſſimam integritatem, à qua vniuerſa collucent. Cernimus ſtellas in caelo? Suſpiciamus Virginem, quae Angelice, ac ſanctiſſime viuendo & Angelorum & hominum ſanctiſſimorum meritis, tamquam ſtellis quibuſdam inſignita, caeli nobis aſpectum iucun-

cundissimum praebet, & vaticinij praestantiam assequuta, se ab omnibus gentibus dictum iri beatam testata est. In illa, Apostolorum quoque, & Euangelistarum merita agnoscamus & praedicemns, à qua, tamquam à veritatis morumq. magistra, res plurimas edocti, euangelio nationes exteras imbuerunt, atque illud posterorum memoriae prodiderunt. Martyrum illam fuisse principem video, quando id, quod diuinitus prolatum fuerat: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, fuerit optime comprobatum. Confessorum stellam eam nuncupare ne vereamur, quae Dei Optimi Maximi sapientiam, fine omni carentem, & verbis & rebus ipsis, temporibus omnibus fatebatur, atque adeo concinebat: Magnificat anima mea Dominum, & quae sequuntur amplissima, quibus innumera mysteria continentur. Quamobrem & virginum & omnium ordinum princeps & caput est illa quidem, omnibus laureis, nitidissimis coronis, inauditis triumphis, omni auro, topatijs omnibus, omnium gemmarum ornatu, omni fulgentium trophaeorum pompa, & quam maxime & perpetuo celebranda, Sol ipsa, Luna, Aurora iure optimo nuncupetur, quae quasi aurora consurgens, verum Solem IESVM CHRISTVM ad se sua traxit tranquillitate, eumq. admiranda ratione contractum, edidit in lucem, qui lucet in tenebris, quique matrem sibi quam simillimam reddidit, vt Solem alterum ipsam, nedum Auroram, extitisse constaret. Verum ò mirificam & felicem iterum atque iterum Auroram dicam, an Solem? quod hostium perenniuim tenebris expulsis, laetitia allata caelesti, diem felicissimum & illustrissimum protulit. Illam quidem certe, controuersiarum insidijs remotis atque abiectis, Sol iustitiae CHRISTVS suis radijs illustrauit, quibus orbi terrarum optatissimus dies illuxit. Quin etiam illa est pulchrior Luna: nam ista humores, illa gratiam parit. Non ne haec, Solis lumine in se transfuso, noctem illustrat? Virgo vero Maria, miseriarum nebulis profligatis, mentibus lumen praefert. Non ne ista ex cunctis astris est Soli simillima? non ne cun-

ctis syderibus suo illo candore praecellit? At MARIA veri Solis, atque adeo Diuinitatis simulachrum inter innumeros beatorum spiritus, qui Deo semper assistunt, in sempiterna luce gloriosissime praefulget, ac secundum Deum opt. max. imperat vniuersis, atque adeo illius precibus diuina saepenumero, ac certe assidue potius, celsitudo indulget atque concedit. Tota enim pulchra es, & macula non est in te, & sine vllo vmquam defectu perpetuis coruscas illustrata fulgoribus. At enim Luna, quae suo circuitu ambit orbem terrarum, pariter crescens ac pariter decrescens, variatur in dies. Et quoniam stultus, vt Luna mutatur, factum est, vt pedibus Lunam premat Virgo, quae nullam vmquam defectionem recepit. Stultitiae vero principem, affectum varie ac perturbatum, illa ipsa Virgo eximia ac singulari prudentia redigere potuit in seruitutem. Ex quo non tantum Luna, sed ipse quoque truculentissimus humani generis hostis Virginis imperio ditioniq. subijcitur. Neque vero tantum quidquid Sol ipse splendoris ac facultatis habet, id totum ratione quadam perfectiore in MARIAM Virginem transfunditur, quum fuerit electa, vt Sol, idq. virtutibus praestantissimis, quibus illa praeluxit: neque tantum quidquid in Luna boni, id perfectius & absolutius est in MARIA; verum etiam quidquid ipse Deus splendoris ac potestatis habet, id totum sacrosanctae Virginis voluntati ac precibus saepe saepius impertitum esse videatur. Te Sol iustitiae delegit, vt ex te nasceretur. Tu diuini amoris igne conflagrasti, vt fieres mater charitatis. In te tantus diuinae sapientiae splendor enituit, vt haereticam prauitatem contriueris. Tu alter Sol oriens super bonos & malos, ad te confugientibus cunctis te clementissimam praebes. Te Sole deficiente praestantiorem, numquam defecit fides, quando Solem splendor defecit. Quid MARIAE Virgini aliud quispiam fortasse potissimum voluerit comparari? Id vnum in illam optime profecto conuenerit, quod Pontificis Maximi auctoritate, pietate, studijs, additum ne dicam, an nuper erectum? Aedem ne sa-

crosanctam ; an templi partem, an summae speciei templum alterum potius appellem ? Adfuit olim mihi Romae Virgo MARIA per nubem, per niuem, per templum, atque Liberij Summi Pontificis, ac Ioannis Patritij facultatem & studium ad templum in Virginis ipsius nomen atque honorem exaedificandum, per visum, niuium significatione, flagitauit. Iam vero quid hac aetate fuerit à Te Paulo Quinto Pontifice Maximo perfectum, omnium oculis ac mentibus perpendendum praebetur. Ergo iure sperandum maxime esse videatur, fore, vt illa ipsa Virgo, quae olim sedem, quae Virgineum vterum, tamquam caelum, tamquam templum, quae niuis, idest pietatis suae candorem praepotentis Dei filio praebuit, si eadem ratione illam perpetuis temporibus colendam esse censeamus, qua tum temporis aetas illa religiosa percoluit ; adsit precibus, vota excipiat, Deum opt. max. flectat, vt nostris criminibus velit ignoscere & indulgere, propulsare hostes, bona omnia elargiri. Neque enim sibi tantum à Ioanne Patritio templum postulauit ; verum etiam cunctis rationem quamdam praescripsit, qua Deum, ac se ipsam quoque veneraremur. Et quoniam Deus matri suae cultum habendum esse ostendit vel illis propemodum verbis : Ecce Dominus venit super nubem leuem, indicauit esse MARIAM nubem quae ex monte illo Libano, qui ad integritatem perpetuam declarandam propter niues, quibus albescit, erat aptissimus, humores forte in niues cogendos contraxerat, quibus in Exquilijs delapsis, templum sibi describeret. Harum niuium symbolum Te Paulum Quintum Pontificem Maximum sequutum, Aedem augustissimam, celeberrimam & sacrosanctam templo augustissimo, celeberrimo ac sacrosancto addidisse, ad Virginem celebrandam videmus. Me vero felicem Romam iam iterum atque iterum, cui tantus verae solidaeq. gloriae cumulus accesserit : quippe quae tantis aucta muneribus, cladium omnium oblita, ad aureum omnino aeuum, depositis omnium miseriarum, ac funestae parentandi rationis exuuijs, posse iam facile videar adspirare.

rare. Liceat igitur modo mihi meo quodam iure gloriari, atque summis gaudijs ac laetitijs exultare, non quod me inter vrbes ceteras, Vrbem potissimam, caput Orbis, condiderunt diuino nutu maiores; non quod exteras ac barbaras gentes, meo subiectas imperio, crebris triumphis exceperim vniuersas: non quod summis victoriarum monumentis onusta, egregijs laudibus extollar; verum quod in me Catholicæ fidei fundamenta iampridem iacta esse perspexerim, quod Sedis Apostolicae patronos, duo nimirum meorum ciuium propugnacula; sinu exceptos meo, tuear, foueam & conseruem; quippe qui cum infinito beatorum nnmero coniunguntur; quae in mea felici quidem terra conquiescentes existunt; quos ego ex me ad aeternam beatitudinem in vitam reuocatum iri dum cogito, video sane cetera mea bona hoc tanto bono cumulatum iri; quod tandem summos Pontifices superiores ille sit Pontifex Maximus consequutus, qui inter plurima quibus me cumulandam putauit, beneficia, Sãctam illam Franciscam olim ciuem meam, sed nunc caelestem, quam adeo sum venerata; quam homines adeo celebrauerunt, quam Deus optimus maximus adeo dilexit, vt per eam populo huic meo vniuerso beneficia plurima impertiatur, in ciuium caelestium numerum referendam putauit. Atque praeterea hunc beatum spiritum cũ sancto illo, dignissimoq. Carolo Borrhomaeo, meae Sãctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale, Illustrissimae Mediolani ciuitatis, atque adeo meo Romae, ac totius orbis terrarum lumine & gloria, Christianae reipublicae perfugio, beneficiorum, ac mirandarum facultatum flumine, quibus Deus ac beatissima Virgo, illius precibus, humanum genus complectitur, in caeleste Senatum adscripto, coniunxit. Ex vtraque re magnam capio laetitiam, ac plane triumpho. Vt vero ad haec ipsa duo Ecclesiæ sacrosanctae lumina maiore studio veneranda, suo quemque inflammaret exemplo, duo Sacella aedificio illi Exquilino adiungenda & exornanda curauit, alterũ tibi, Sancte Carole, sanctimoniae instaurator, ac no-

ſtrae memoriae decus, alterum tibi Sancta Franciſca, quam Romanæ pietatis & alumnam & altricem tuis temporibus extitiſſe certo ſcimus. Quin etiam huius tam admirandi Pontificis Maximi beneficio, non modo ſacroſanctum illud Apoſtolorum Principi D. Petro dicatum templum, ingens, ornatiſsimum, ſublime, auguſtiſsimumq. jam cerno abſolutum paene; verum templum etiam illud, in Exquilijs olim niuium candore indicatum, atque exaedificatum, delicias omnino meas, aede praeſtantiſsima & auguſtiſsima quidem Virginis MARIAE imagini praeclariſſimae ſedem praebente, honorificentiſsime auctum, contemplandi finem ſumma laetitiae voluptate, mihi facere minime poſſum. Mitto cetera non pauca, quae ad meum commodum praeſtitit: aquarum copiam deductam; aedificiorum ac viarum amplitudinem non cōmemoro. Gratuler igitur ciuibus meis, neceſſe eſt, gratuler peregrinis, gratuler omnium ordinum atque aetatum hominibus; gratuler tamen in primis Paulo Quinto Pontifici Maximo, qui diuino beneficio, tanta rerum praeclare geſtarū gloria floreat. Atque ab vniuerſis hominibus mihi petendum eſt, vt haec omnia & Pontifici Max. & Chriſtianae Reipublicae vniuerſae fauſta & felicia & eſſe & fore Deus opt. max. velit, aſsidue deprecentur. Ego vero tanta bona, quibus me Vrbem, patriam tuam, ornare voluiſti, Pater Beatiſsime, praecipuo quodam animi mei ſenſu, accepta refero, ac tibi gratias ago, quas poſſum; habeo, quas debeo; ac precibus à Deo contendo, vt ipſe referat, quas ipſa nequeo, & quibus tantae pietatis indicia digna eſſe videantur. Vt enim amoris argumentum per templum MARIAE Virgini à maioribus dicatum, maxime patuit; ita Pauli Quinti Pont. Maximi voluntatem in Virginem declaratam, communi omnium approbatione, plauſu, laudibus extollere debemus. O pietatem igitur admirandam, ò ſummi exemplum Pontificis, ſummo ſtudio, & imitatione proſequendum. Vt enim Virgo MARIA nubes extitit, quae foecundiſſima pluuia ac niue potius vberrima terrarum orbem ſordi-


bus liberauit; nec pluuia tantum, sed niue etiam candidissima ad omnium scelerum, ac perturbationum aestum leniendum, ad afferendam foecunditatem, ad bonorum omnium vbertatem elargiendam, me ipsam Romam conspergere quondam voluit; ita hisce temporibus, Summo Pontifice precibus & monumentis amplissimis à MARIA Virgine opem ad Ecclesiae Catholicae tranquillitatem & pacem impetrandam, toto pectore contendente; orbem terrarum illa ipsa Virgo sacrosanctis vlnis ac lacertis, quibus olim natum CHRISTVM extulit atque suscepit, vindicandum ac tuendum suscipere non desistet. Quis te igitur, Virgo, non iure optimo colat, non celebret, non veneretur? Te orbis terrarum laudibus extollit, quum apud omnes gentes, & vbique locorum, homines tuam praestantissimam dignitatem, tuam dignissimam singularemque virtutem, tuam virtutum omnium amplitudine cumulatam praestantiam suspiciant & admirentur. Est inter ceteras Italiae ciuitates tui potissimum, Virgo, studiosissima ciuitas illa, loco, vicinitate, origine mihi Vrbi, quae ex orbe terrarum errores & hostes expellere atque disijcere consueui, coniunctissima quidem, nec vllis nationibus vmquam religione in Deum, neque fide in Apostolicam Sedem inferior fuit. Illa vero tum ob cultum tibi, Virgo, maxime debitum, & pro viribus habitum, tum ob tua pro patrocinio eximia beneficia & munera in illam collata, merito Ciuitas Virginis nuncupatur. Quocirca summae pietatis insignia per te potissimum, Virgo, Paulus Quintus Pontifex Maximus cũ generis nobilitate, ac nobilis familiæ propagatione, hic in tanto splendore procreatus, hic in tantam lucem susceptus, Senis oriundus, coniunxit: hic denique ad omnem disciplinarum eruditionem institutus atque edoctus, optimi & clarissimi parentis vestigijs insistendum putauit. Is enim Senis nobili genere natus, ac ciuitate mea deinceps donatus Romana, qui vir & quantus extiterit, vix cogitatione complectar, nedum verbis ostendam: recentior tamen illius Marci Antonij Burghesij virtutum & actionũ


me-


memoria neque est obscura plerisq; neque erit ignota posteritati. Mitto cetera, ne perorandi tempore videar exordiri. Itaque argumentis iam apertissimis patet, hunc tantum, hunc tam insignem, tam pium, tam spectabilem, tam magni, tam grauis, tam constantis animi Pontificem Maximũ toto suae vitae cursu nihil aliud in primis prae oculis habuisse, quam vt immortalis DEI Matrem quam maxime veneraretur. Vbi vero illius virtutem ad Pontificatus apicem sancti Spiritus afflatus euexit; ad summos honores tibi, Virgo, praestandos, ad amplissima monumenta erigenda, quae animi erga te sui religionem, & immensi amoris indicia posterorum memorię cum ingenti ipsorum laetitiae voluptate declararent, studio suo penitus collato; aedem amplissimam delicias, atque splendorem tum ipsius domus atque familiae, tum meum, Romae & orbis terrarum, artificiose, varie, affabrę, mirifice exaedificandam & exornandam curauit, vbi sanctissima illa optimis pennicillis atque pigmentis expressa Imago tui, ò caelorum ac terrarum Regina, quam dignissime, & quã honorificentissime collocaretur. En tandẽ multorum laborũ & annorũ opus perfectũ & absolutũ tibi Virgini & Deiparæ dicat Paulus V. Pontifex Max. Christianae Reipublicae Sanctissimus Pater; atq; animi sui vestigia prae se ferẽs, à te quidẽ vehementer petit, vt per te voluntatẽ perpetuam in aeuo illo sempiterno, in illo diuino cõspectu, in amplissimo illo ac iucundissimo beatorũ caetu, in illa denique bonorũ omniũ vbertate, tum Deo Opt. Max. tũ tibi exhibeat, praestet, adiungat. Excipe, Virgo, excipe, prosequere, cõplectere leue quidẽ munus, si tua meritorũ celsitudo spectetur: si tamen vires hominũ imbecillae atque mortales ponderẽtur, perfectũ esse quiddam profecto maxime insigne, nemo est, cui nõ maxime pateat. Respice studia Põtificis Sũmi, sanctissimi, celeberrimi, & munus viribus humanis perfectũ innumeris illis tuis caelestibus ac diuinis prosequi muneribus & cumulare digneris; atque pro tẽplo, quod olim diuina niuiũ descriptione à Ioãne Patritio poposcisti, & pro aede praestantissima, quã tibi à Sũmo Pontifice, acerrimo am

pli-

plitudinis tuae propugnatore,& Christiani nominis propagatore oblatū vides,efficias, vt in tui memoriā & decus tēpla,Deo tibiq. gratissima in hominū pectoribus,niuibus,picturis,coloribus adūbrentur : tēpla, virtutū omniū candore praefulgētia,perturbationū omniū aestibus delinitis,Virginis ope ac praesidio, alacriter extruātur. Tēpla tibi,Virgo, innumera à tui studiosissimis cōstruenda,tuis praesidijs ac beneficijs, firmes,precor,ac fulcias, vt per ea iā ascēdāt vniuersi ad te Virginē singularē,ad te Paradisū,Lunā, Aurorā, Solem,ad te virtutū columen,ad te vitiorū & hostiū expultricē,ad te montē omniū montium praestantissimū,montē coagulatū,montē pinguem,montē, in quo beneplacitū est Deo habitare,montē saluberrimū ac frugiferum,ex quo fructus optimus,ac Diuinus,Deus ipse homo natus est, quū iā ipsa lepidissimis coronis,victricibus laureis,amplissimis trophaeis, inauditis triūphis onusta,& Dei & tuo in caelis filio assideas,perpetuo decoranda,ò Maria, rerū videlicet omniū Domina,& Regina. Tu nos fulgentissimo illo tuo Christi vexillo protege,nos cōplectere,nos tuere. Tu supplex & mater & Virgo iudicē Deū & filiū placa. Te laudāt Angeli, per quā ipsorū numerū sanctorū hominū numero expletū fuisse contuentur,dū pro te eo perueniūt homines, vnde superbiae spiritus exciderunt. Te caelestis curia concelebrat, quia ipsi laudē,honorē,gloriam in Saluatoris Christi partu peperisti. Te celebrat,te appellat orbis terrarū,qui te in caelis patronā sibi fore cōfidit. Te iā concelebramus vniuersi, tuo patrocinio freti,& in sacrosanctae Ecclesiae theatrū cōuocati,ad te cōfugimus,à te opem petimus,quia peccatoribus indulges, quia iustos tuis precibus regis & foues, quia virginum caput es,quia matronas inuisis & protegis, quia te Virginem venerantur & viduae,quia denique omniū ordinū atque aetatū hominibus faues,vt continentiam cuncti filio tuo voueant IESV, qui aeterno parenti Deo,totius iustitiae ac pacis auctori,omnem omnium integritatē ac pietatem addictam & gratissimam reddidit,atq; acerbissimis, varijsq. perpessionibus, cruciatibus, sanguine, interitu, ad Dei Patris,suam,suorūq. omniū gloriā,consecrauit. Dixi.




DE ADVENTV
SANCTI SPIRITVS
ORATIO
AD VRBANVM VIII P. M
Habita
À MARTINO FRANCISCO
NALD. À BVRDESIA
Sem. Rom. conv.
Spiritus Dni


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Illustrissimo Principi

ANTONIO
CARD. BARBERINO

MART. FRANCISCVS NALD. A BVRDESIA
Semin. Rom. Conu. F.







SPIRATIONEM Auræ vehementis, Princeps Illustrissime, quæ Diuini Spiritus maiesta-- tem in orbem terrarum deuexit, vt breui oratione prosequerer, nouo & ipse afflatu indigebam. Ille abs Te potissimùm mihi petendus erat, cuius Purpurata Sapientia, & Humanitas tot non ho-

minum modò, ſed populorum votis aſpirat. Exploratum ſanè id eſt; cum Sole Venti halitum naſci: & purpureum Cælum Auras mouere, quas tempeſtiuè flantes benigniora ſydera terris conciliant. Hanc ego mihi ſortē audeo augurari; vt affulgente Tuæ lucis Purpura ſecundos hauriam ſpiritus ad dicendum: & in poſterum proſpero curſu rerum fœlices ad exitus iucundè prouehar; ſi, ſemper renaſcente Tuarum ſplendore Virtutum, me Sol ſerenus aſpexeris. Vale.

ORA-

ORATIO.

Factus est repente de Cælo sonus tamquam aduenientis spiritus vehementis. Act. 2.



ONVS ille Spiritus vehementis, qui hodie factus è Cælo, Beatissime Pater, in augusta Sionis curia inclusos nascentis Ecclesiæ Patres penetrabili ardentium linguarum imbre perfudit; è collibus Hierosolymæ demissus exijt in fines terrarum: & silentium diuturnæ noctis, cui tenebrarum Principes caliginem scelerum offuderant, eloquentibus flammis aliquando submouit. Ad hanc immortalis Auram vitæ breui cursu mea velificabit Oratio. Quanta porrò vis aduenientis Auræ? cuius aspiratione humanas mentes illabitur Deus: fulgentes in linguas disertus ignis accenditur: aër subita agitatione dissoluitur: terra

commouetur: mundus ipſe inopinato impetu euerberatus defectum timeret, niſi eodem, quo laborat, ſpiritu recrearetur. Mirum ſanè quot ſuper pennas incredibilium portentorum ambulans Auſter cæleſtis ſupernè perſonuit. Sono, halitu, afflatu ventus erat, cuius vix appellationem, nedum ingenium ſortiebatur, & mores. Etenim hanc Ventis natalium originem Natura indulget; vt laceſſente Sole, aquarum, terrarumque ſpirabilis vapor in altiora nubium receptacula confluat, vbi coaceruatus, & incremento caloris amplior factus, nec ſe anguſtis faucibus continens, refractis obſidentium corporum quaſi carceribus, in nouam Ventorum ſobolem erumpat; quæ patria multiplex, natura diſsimilis, curſu violenta, ſpiritu pertinax, non ſine concuſſu circumfuſi aëris, conflictu aquarum fluctuantium, ſiccitate, atque humore terrarum, ſerenitatis, imbriumque viciſsitudines per certa locorum, ac temporum

porum interualla definiat. Leuis igitur terræ fœtus est, qui parentis grauem sinum paulum declinat, vt eam beneficia fœnerantem conuectis pluuiæ alimentis, grata remuneratione reficiat. Nunc verò quod homines perflat, è Cælo egeritur. Quantum porrò egestum est, cum perflat è Cælo Deus? Replet vnam Domum Spiritus, qui immenso latè circuitu repleuit Orbem terrarum. Paucis ex omni mortalitate spirat, qui omnibus portat spiraculum vitæ. Venit Auster in hortum suum; nec solum ibi terra refloruit, sed vbique terrarum flores suauem virtutis odorem afflantes aperuit. Quid, cum ignem venit mittere in terram? prodigiosa duntaxat conuersione rerum, vt Austro flante aquæ non fluerent, quo solutis è nubibus conglobatus humor in pluuiam effunditur. Nimirum pluuialium vndarum architectus Spiritus hodie nouo machinamento Cæli purissimos ignes elaborauit in pluuiam: &

ignea-

ignearum imbre linguarum quorum vertices inflammauit, eorum cordibus infudit incendia Charitatis; vt in ſplendoribus Sanctorum eluceret hominibus impertita diuinitas. Deus enim ignis conſumens eſt: ſed refrigerante Spiritu, quos diuinus ignis accenderat, non conſumit. Verùm non angustiæ pectorum perferre immodicos æſtus: non obſtricti parietes incluſam eluctantium flammarum vim coërcere potuerunt. Deiecto formidinis vallo, reductiſque foribus, emittitur bellatorum incluſus ille manipulus, perexiguus quidem numero, aſpectu inermis, & imbecillus; ſed fulminãte Spiritu procellarum impulſus: fulgurante lingua pro telo inſtructus: ardenti voce pro iaculo: &, quod eſt ancipiti gladio penetrabilius, Verbo Dei. Nec tu Hieroſolyma ampliſsimis quamquam mœnibus tantos ardores cælare potueras, quos validus Aquilo acriter euentilatos in omnes latè populos effundebat. Neque enim

cele-

celerius olim ſuper aquas,quàm tum ſuper
terras Spiritus Domini ferebatur : ac peſti-
fero vulnere exanimatis , iacentibuſque
gentium cadaueribus animæ viuentis of-
ficia miniſtrabat . Quam enim vitam ab
hominum primo acceperant , qui generis
ſui fuerat ante parricida,quam parens ? At-
qui nuper Dei Filius , cùm ex horribilium
tormentorum pelago , in primo fœlicitatis
aditu , portuque immortalitatis conſtitiſ-
ſet, primitias Spiritus , pretioſiſsimas veluti
merces,dilectis animarum inſtitoribus con-
uehendas reliquerat . Sed credita Petro
Nauis adhuc Palæſtino hærebat in littore,
nec ſe furentibus procellis quocumque ſi-
bilo auræ tenuis committere audebat . Ve-
hementẽ Spiritum opperiebatur, qui ferret
Arcam fœderis immenſarum aquarum flu-
ctibus commeantem , mundoque naufra-
ganti perennioris ſpem vitæ , opeſque ſo-
lidas reconditæ Diuinitatis inferentem .
O expectatum diem, cuius exortu Ventum
de

de theſauris ſuis æternus Sol coronatus igne produxit. O Auram ſalutarem, quæ ſpirantium facundia linguarum, mortalium ſulatem diſertè perſonuit. Tunc enimuerò Patres fidei noſtræ, fœlicitati reſtituendæ initos curſus celerrimè tenuerunt. Ad omnium gentium fines, vbi erat impetus Spiritus, gradiebantur: Aſpiratione Diuina excitatum robuſto animarum pabulo augebant incendium: nefarios impiæ ſuperſtitionis ignes altaribus extinguebant: illuſtribus linguis fundebant perinde auribus vocem, ac mentibus lucem: & ore multorum internuncio etiam barbaræ, atque inhumanæ gentes loquentem agnouêre luminum Patrem. Tu nempe Spiritus oris noſtri in illis loquebâre. Tu, cùm alios alijs terris, ad diſtribuendas amoris tui faces, legatos deſtinares, Petrum omnium Principem Romam dimittebas; vt hanc vniuerſitatem terreſtrium miraculorum conuerteres in nouæ miraculum religionis: omnibuſ-

nibuſque templis impietatis cōtaminatam, templum faceres Spiritus Sancti. Hanc nimirum Aulam regnantis Fidei, Spiritus veritatis exinde circumuolaſti; remotus quidem ab oculis, ſed altius in aurem credentium animarum illapſus, & candida ſub imagine interdum ſpectabilis; cum ſuſpiranti ad Eccleſiæ clauum Magno Gregorio, amabilis Columba non inſpirabas doloris gemitum, ſed liquidæ concentum voluptatis: feſſumque regendo mundi gubernaculo moderatorem gentium dirigendo, docendoque recreabas. Ignem hic cæleſtem foues, à quo Hæreticæ furiæ interitum: bonorum Pietas calorem vitę mutuatur, & lucem. Linguis præfulges ardentibus, quarum voces vocatis hodieque ad ſalutem Aethiopum, Indorumque populis, audiunt vltima terrarum. Lenibus auris alios vitæ fluctibus agitatos prouehis: prouectos alios ad fœlicitatem deducis: omnibus aſpiras mortalium Paraclitus, immortalium Spiritus animorum.

ROMAE,
Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti.
MDCXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

